

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae XIII.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gvn-ha33-1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gvn-ha33-1-219543)

EPISTOLAE XIII.
ARGVMENTVM.

Agit Appio gratias, quod supplicationem sibi decernendam studio se curauerit. gratulationem autem diuidit in quatuor partes; in officia sua, quibus meritum se esse ostendit, vt Appius in re simili parem operam beneuolentiamque nauaret; in Appii benignitatem, qui acceptam gratiam quasi cum foenore reddiderit; in eiusdem laudem, quod ea studia, quae a talibus viris proficiantur, virtuti tantum tribui solita sint, ideoque rebus omnibus anteposenda videantur; in remunerandi voluntatem, suae possit in publicis rebus, suae in priuatis gratum animum ostendere. Absoluto gratulationis officio, pauca subiungit de dolore suo ex inimicitia Appii et Dolabellae: se tamen eos reconciliandi curam suscepisse, nihilque de suo pristino in Appium studio, ob nouam Dolabellae affinitatem, detractum esse confirmat. Postremo loco, epistolae breuitatem cum Appii laude excusat.

EXPLANATIO.

Quasi diuinarem] In ipso litterarum exordio a suis in Appium officiis beneuolentiam captat: quod mire ualeat ad id, quod petimus, impetrandum. Incipit autem, *quasi diuinarem*; quia, cum Appio supplicationem curauit, reuera de prouincia non cogitabat: itaque dixit epist. 2. *Cum et contra uoluntatem meam, et praeter opinionem accidisset, ut mihi cum imperio in prouinciam proficisci necesse esset.* Ita et auget officium suum erga Appium, et se ipsum ambitione liberat.

Tali in officio] In supplicatione. *De tuis rebus gestis*] Pro quibus supplicationem petebas.

Infruebam] Hoc verbo summa diligentia declaratur, quam domino serui debent, et, nisi sint improbi, praestant.

Plus, quam acceperas, reddidisti] Probitatis est, acceptum beneficium non dissimulare: liberalitatis, etiam augere uerbis: idque genus omnino quoddam est gratiae refe-

rendae, quo hic utitur Cicero. Est autem praeclara inter eos consuetudo, qui mutuis officiis amicitias ita colunt, non ut paria paribus, sed ut maiora, quam acceperunt, reddere contentur. ita, quos fructus amor parit, iisdem alitur atque augetur, nec umquam aut sine amore fructus, aut sine fructibus amor est. In Bruto c. 4. *Illud Hesiodum laudatur a doctis, quod eadem mensura reddere iubet, quam acceperis, aut etiam cumlubiore, si possis.* Et lib. 1. de Offic. c. 15. *Si ea, quae utenda acceperis, maiore mensura, si modo possis, iubet reddere Hesiodus: quidnam beneficium prouocati facere debemus? an non imitari agros fertiles, qui multo plus efferunt, quam acceperunt?* lib. 15. ad Attic. epist. 12.

Quis enim ad me non perscripsit] Tribus modis hanc explicare sententiam potuit, vel affirmantibus uerbis, hoc modo, *omnes ad me perscripserunt*: vel geminata negatione, sic, *nemo ad me non perscri-*

perscripfit: vel interrogando; quod fecit: quia modus hic efficacior est, quam reliqui duo, et ad significandum valet plurimum.

Auctoritate orationis] Quae ceteros commouere potuit. cuius enim vita probatur, cuius in privatis publicisque cognita virtus est, eius exemplo facile ducuntur omnes.

Sententia] Qua Ciceroni supplicationem decrevit.

Domum veniendo] Ad magistratus, ut eos de supplicatione Ciceronis rogaret. lib. I. epist. 8. *Notum studium exstabit in conveniendis magistratibus et senatoribus.*

Nullum munus officii cuiquam reliquum fecisse] Nihil cuiquam faciendum reliquisse, plane omnia fecisse mea causa.

Haec mihi ampliora multo sunt] Appii amorem supplicationi, atque adeo rebus omnibus, quae proficisci ab amore possint, antepont. non enim amor ob utilitatem, sed utilitas ob amorem aestimanda.

Quam illa ipsa] Similem sententiam usurpavit in re dissimili, lib. I. de Leg. c. 10. *Sunt haec maiora, quam ipsa illa, quorum haec causa praeparantur.*

Laborantur] Cum labore fiunt. Vtus est eodem verbo nescio quo libro, ex quo Lactantius lib. 7. c. 11. haec recitat: *Nihil est, quod sit manibus humanis laboratum, quod non aliquando ad interitum redigatur. Elaborari, dixit lib. 9. epist. 16.*

Insignia virtutis] Honores.

Sola virtus] Testimonium virtutis mihi das, cum haec mea causa facis. quam ego laudem pluris,

quam illa ipsa, in quibus operam ac studium ponis, debeo aestimare.

Mihi propono fructum amicitiae nostrae, ipsam amicitiam] Alii fructum sibi proponunt amicitiae, honores, commoda, aliquid omnino: ego, praeter ipsam amicitiam, nihil specto: in ea mihi statuo omnes fructus. quanti enim apud me esse debet, quod tu me diligas, cum talium virorum tanta studia assequi sola virtus possit? Simile illud in Laelio c. 9. *Amicitiam, non spe mercedis adducti, sed quod omnis eius fructus in ipsa amore inest, expetendam putamus.*

Qua nihil est uberius] Cur ego alios mihi fructus amicitiae nostrae proponam, cum neque fructum vllum cum ipsa amicitia conferendum, neque tamen ea quidquam uberius, aut fructuosius existimem?

Studiis] Litterarum. magna esse potest in omnibus rebus, maxima vero in communibus studiis veritas amicitiae nostrae. Tacite ostendit Cicero, quanti fecerit eum librum, quem de iure augurali Appius ad eum scripserat: idque sibi curae esse, ut simili eum munere remuneretur. epist. 4. et 9.

Deninctus est] Eadem metaphora vsus est epist. 10. *Quid? illa vincula, quibus quidem libentissime adstringor, quanta sunt? studiorum similitudo, etc.*

Is artibus] Gratiam init ab Appio promissa studiorum coniunctione: quod et eius doctrinam magni facere, et ad eius honorem ac laudem velle sua studia conferre videatur.

Omnes tuos] Callide hoc iniecit. non enim id solum indicat, quam inique ferat Appium a Dola-

bella reum factum; sed etiam, cum ipse, grauitèr laesus, tamen in gratiam cum omnibus Appii propinquis, id est cum omnibus Clodiis, redierit, idque ipsius Appii causa fecerit, vicissim eum debere tanti Ciceronis amicitiam facere, ut eius generum Dolabellam odisse desinat.

Non despero] Petere aperte non audet, ut Dolabellae reconcilietur: sed modeste petit, et Appii humanitati confidere videtur, cum ait, *non despero*.

Nihil ad te] Habet rationem Appii dignitatis, quia pluris facere adolescens Dolabella Appii amicitiam, viri in primis honorati, quam contra Appius Dolabellae, debebat: accedebat aequitas: utrum enim decet, eum, qui iniuriam intulit, an eum, qui accepit, de reconciliatione laborare?

Nestrum est onus] Ego efficiam, ut reconciliationis initia a genere meo proficiantur.

Intelliges] Re ipsa perspicies.

Hac re nouata] Quod mihi Dolabellam affinitate deuinxerim.

Additum potius aliquid] In proxima epistola nihil ad studium ac beneuolentiam, sed ad voluntatem quidem beneuolentiae declarandae multum esse additum dixit.

Aduersus magistrum morum]

Coram magistro morum. quasi epistola cenforem alloquatur. modestè enim agere in conspectu censorum oportebat. itaque notatum legimus, qui paullo liberius iis praesentibus hiasset. *Magistri morum* censores vocabantur, quia regendis moribus quinto quoque anno crearentur. de quibus Cicero lib. 3. de Leg. c. 3. *Mores populi regunt*. Potestatem censoriam Trebellius Pollio in Valeriani vita c. 2. ostendit his verbis: *Totius orbis humani suscipe censuram, quam tibi detulit Romana respublica, quam solus mereris, iudicaturus de moribus nostris. Tu aestimabis, qui manere in curia debeant: tu equestrem ordinem in antiquum statum rediges: tu censibus modum pones: tu vestigalia firmabis: diuides statum: res publicas recensabis: tibi legum scribendarum auctoritas dabitur: tibi de ordinibus militum iudicandum est: tu arma respicies: tu de nostro palatio, tu de indicibus, tu de praefectis eminentissimis iudicabis: excepto denique praefecto urbis Romae, exceptis consulibus ordinariis, et sacrorum rege, ac maxima virgine Vestalium, si tamen incorrupta permanebit, de omnibus sententias feres.*